

Lunds U.

14.4.24

I. N. J.

DISSERTATIONIS PHILOSOPHICÆ,
DE

10

16

LU XU,
BONORUM MORUM
CORRUPTORE,

PARTEM PRIOREM,
Consens. Ampl. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publice examinandam sistit

DANIEL WIJNQUIST,

WIBURGENSIS.

Die X. DECEMB. Anni MDCCLXIII,

L. H. Q. A. M. C.



A B O Æ,
Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och Capitaine
Vid Tavastehus-Läns Regimete,
Samt Riddare af Kongl. Svärds-Orden,
Välborne HERREN,

Herr JACOB BÖISMAN.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och Lieutenant
Vid Kongl. Lif-Regimete Dragoner;
Välädle HERREN,

Herr NILS LUND.

MINE HÖG-GUNSTIGE GYNNARE.

Utan.
Handlas. Uti. Detta.
Om. Pragts. Och. Överflödighets.
Utan. Prun-
Smickrande. Själars.
Upoffras. Förstlingen. Af.
Åt
Mine. Vålgjernings-Män.
Til. Et. Mera. Beståndigt.
Af. Den. Re-
Hvarmed. Til. Bleka.
MINE.
Ödminkaste.
DANIEL.

Kongl. Maj:ts
Tro-Tjenare och Directeur
Öfver Saltpetter-studerierne
Uti Nylands, Tavastehus, Savolax och Carelms-Läner,
Högädle HERREN,

Herr ABRAH. ARGILLANDER.

Vice-Pastoren och Comministren
Uti Cuopio Förfamling,
Välärevördige och Höglärde,

Herr ZACH. ARGILLANDER.

Vice-Inspectoren,
Högaktad,
Herr PETTER G. ARGILLANDER.
MINE KÅRASTE MODERBRÖDER.

Pragt.
Snille-Prof.
Skadliga. Värkan. På. Goda, Seder,
kande. Ord.
Vanliga. Kännemärken.
Mina. Academiska. Arbeten.
Eder.
Och. Gunstige. Moderbröder,
Ån. Lyfande. Vedermäle,
na. Vördnad.
Stoftet. Framhårdar,
HERRARS.

Tienare.
WIJNQUIST.

A MONSIEUR
L' AUTEUR.

Je crois, pour Vous donner ouvertement des preuves de l' amitié qui regne entre nous, devoir saisir le jour, où les brillans éclairs de Votre Esprit, rehaussant Votre merite, Vous couvriront de louanges, toute-fois persuadé que Vous ne Vous attendez pas à recevoir de moi tous les éloges que mérite la vivacité du génie qui se decouvre dans Votre Dissertation. Je me contenterai de Vous dire que, si jamais Moraliste prouva aussi bien que Vous l'avez fait, que le Luxe provoque au dérèglement & à la dépravation des mœurs, ce n'a sûrement point été par des argumens plus brefs ni plus solides.

C' est ce que Vous assure, en combattant Votre peu d'amour-propre, celui qui est avec autant de sincérité que de cordialité

MONSIEUR

à Åbo le 29
Novembre, 1763.

Votre très obeïssant
Serviteur,
S. N. HEURLIN.



D. D.

*Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu
Divitiæ molles - - - - JUVENALIS.*

S. L.



Prodit in theatrum hujus orbis homo, ceterorum animalium Princeps, sed tot undique pressus molestiis, tantisque stipatus ærumnis, quot quantasque brutorum animantium suboles plerumque ignorant. Nudus in nuda humo die natali abjicitur, inermis, imbecillis, neque ingredi sciens nec fari aut vesci, priusquam rite vivere incipiat; protinus igitur moriturus, nisi obstetricum adsit adsidua nutricumque circa illum sollicitudo. Minuuntur quidem sensim hæc incommoda, prout corpori majus indies accedit robur,

A

nec

nec non ratio suam exserere incipit vim; quamdiu autem in selegi vivit familia & sibi ipsi relinquitur, pleaque vitæ commodioris instrumenta desiderat. Ne tamen his malorum molibus penitus succumberet, fatiscienti mortalium generi &, quorsum sese verteret, ignorantia Summus rerum Arbiter pro ea, qua nostræ & conservationi & sustentationi invigilat, cura, vehementem societatis cupiditatem ingeneravit (a); in qua alter alteri adjutrices velut manus e naturali emergendi miseria porrigit. Per necessariam quoque hanc copulam facta est communio quædam bonorum ad victum & amictum pertinentium; immo quæ subtiliter excogitata vel affabre elaborata fuerunt, in medium sunt prolata, atque industria cujuslibet adcurata aliorum solertia, velut ferrum cote acuitur, admodum fuit promota. Magnum quidem hoc adjumentum, quod ex sociatis operibus, contiguis domiciliis atque rerum permutatione genus nostrum percepit; idem vero valde auctum fuit, introductis imperiis, tranquillitatis publicæ fulcris, quibus singulorum voluntates atque vires ira fuerunt unitæ, ut malefactorum lacessendi pruritus minus extimescerent prohi. Sicut autem initia quorumlibet institutorum tenuia sunt, nec quam præstant utilitatem, statim produnt; ita minime est putandum, primos mortalium, qui in societates concesserint, perquam commodam degisse vitam, sed

(a) Hinc CICERO *Offic. Libr. I. Cap. IV. pag. m. 114.* Eadem natura vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vitæ societatem,

sed in magno posuisse lucro, si ab aliorum injuriis modo immunes essent. Hactenus igitur suo quisque agello contentus, propensam sibi Cererem prædicabat, si sudore atque indefesso studio tantam colligere posset messem, quanta sui suorumque sustentationi sufficeret. Hæc vero quantitas, quam usus vitæ necessario requirit, *Unitatem Physicam* appellare licet, quippe quæ cum unitate Arithmetica hanc habet convenientiam, ut, quemadmodum hac sublata nullus superest integer numerus; ita quoque illa remota, cum hominis vita actum est conelamatumque. Porro quamdiu singuli cives unitatem solummodo Physicam possidere concipiuntur, aut etiam quamdiu inter illos obtinet bonorum æqualitas, nullus omnino locus luxui conceditur (b). Atque hæc ferme fuit in initio civitatum facies. Enimvero prout tranquillitas magis magisque inter mortales increvit, artes simul, blandæ illæ pacis & felicitatis publicæ filiæ, capita sensim extulerunt; unde factum est, ut qui ceteris magis essent industrii, plures sibi acquirerent unitates Physicas, idque

A 2

(b) Egregie igitur, ut solet, Illustris MONTESQUIEU: Le Luxe est toujours en proportion avec l'inegalité des Fortunes. Si dans un Etat, les richesses sont également partagées, il n'y aura point de Luxe. Voy. *L'Esprit des Loix Tom. I. p. m. 162.* Quare etiam LYCURGUS luxum e civitate Spartana & modum eundem introducendi sublaturus, æquales bonorum portiones civibus distribuit, publica instituit prandia, nec non atres quaslibet manuarías procul facessere jussit.

que partim proventus quoslibet & redditus suos solerter augendo, partim quoque portionem quandam bonorum alienorum vel præstita opera vel alio quo demum cunque modo sibi vindicando. Qui binas ejusmodi unitates sibi comparare valet, primitias commoditatum experiri potest: & quo plures possidet unitates, eo amplior ipsi præbetur occasio suas augendi commoditates. Atque sicut experientia affatim docet, quod multi mortalium in divitiarum possessione eximium quoddam oblectamentum & summam pæne felicitatem inveniunt; ita quoque fieri potest, ut quidam in civitate tot sibi acquirant unitates physicas, ut ceteri partim commodioris vitæ præsidii destituantur, partim etiam ad squalidam redigantur miseriam (c). Quod his opulentia competat, nemo est, qui dubitat; an vero luxus etiam eisdem sit tribuendus, ex priori, ut dici siveit, determinari omnino nequit.

§. II.

Nullum ferme est vocabulum, quod in omnium ore magis hodie versatur, aut quo multi adeo indignantur, quam luxus. Si tamen a plerisque quæras, quid

(c) Adeo supra reliquos cives opibus eminent nobiles Polonici, vid. de MONTESQIEU *Libr. 5 Tom. cit. pag. m. 29.* adde etiam p. 163. ubi sic differit: En Pologne les fortunes sont d'une inégalité extrême; mais la pauvreté du total empêche qu' il n' y ait autant de Luxe, que dans un état plus riche.

quid tandem sit luxus, aut in quo consistat, vel obmutescunt plane, vel inadæquatam solummodo hujus notionem nobis tradunt. Plerique auctores, qui de moralitate luxus aliquid litteris consignarunt, prætermissa hujus definitione tanquam notissima, commoda atque incommoda ejusdem prolixè exposuerunt. Sunt tamen quidam, qui per luxum intelligunt quælibet vitæ cultioris atque commodioris præsidia (a). Sunt alii rursus, qui hoc vocabulo significant exquisitum quendam gustum rerum, ad vitæ decus atque jucunditatem pertinentium (b). Quamvis autem veteres Auctores tam Græci quam Latini luxum non definiverint, quisque tamen opera illorum oculo non fugitivo perlustrans, facile animadvertit, quod communi opinioni & loquendi usui sese magis attemperave-

A 3

raye-

(a) Quare Illustris MONTESQIEU: Le Luxe n' est fondé que sur les commodités, qu' on se donne par le travail des autres. Vid. *Libr. 5 Tom. cit. p. m. 162.* Huic pollicem premit Auctor libri: *Essai de Politique & de Morale calculée Tom. 1. pag. m. 10:* Le mot de luxe n' étant pas encore attaché à une idée fixe, je m' en servirai désormais pour exprimer l' Aisance, & les degrés de Luxe signifieront les degrés d' aisance. Paulo aliter illum definit MELON dans son *Essai Politique sur le commerce:* Le luxe est une somptuosité extraordinaire que donnent les richesses & la sécurité d' un Gouvernement. (b) On entend en general par le luxe un certain raffinement dans les plaisirs des sens, & chaque degré peut en être innocent ou blâmable selon les sens, les lieux & la condition des personnes. Vid. *Discours Politiques de David HUME Tom. 1. p. m. 26.*

raverint, nec per luxum intellexerint quemlibet vitæ cultum atque elegantiam. Nos igitur per Luxum intelligimus frequentiore usum atque maiorem copiam rerum ad vitæ nostræ elegantiam pertinentium, quam ratio spondeat & utilitas nostra concedat. Si igitur quis plures ejusmodi possideat unitates, quarum mentionem § I. fecimus, quas consumit singulas, luxu omnino diffluit; qui tanto major censetur, quo plures fuerint consumptæ unitates. Prandiorum igitur luxum agnoscimus, quoties mensæ opiparis onerantur epulis, nec non Falernis diffluunt vinis; quibus non id intendimus, ut laboribus exhaustæ vires reficiantur, quam potius, ut depravato gustui voluptuosam quandam pariamus titillationem. Similiter luxus vestium datur, quoties non ad corporis conservationem & justam munditiam illis utimur, sed ad vanam ostentationem, ut amictuum pretiosorum varietate ab aliis distingvamur; tanto nos præstantiores censentes, quanto exquisitior noster fuerit ornatus. Atque eodem ferme modo luxum tam in suppellectili, quam in aliis discernere licet rebus; adeo ut si ad hujus definitionis tenorem magnificentiam Crassi cujusvis æstimes, de luxu ejus nequaquam dubitabis. Valet autem de luxu quod de plantis quibusdam noxiis observarunt Botanici. Videlicet sicut hæc, quamdiu teneræ sunt, gratum plantarum esculentarum saporem atque usum imitantur, robustiores autem factæ nocivam vim suam statim produnt; ita quoque nascens luxus præclararum virtutum speciem mentitur, siquidem multa partim cum benevolentia, partim etiam cum liberalitate habet communia. Exserat vero hydra hæc Lernæa

næa sua capita, illius pravitatem statim agnoscere & nisi mens læva sit, subdolos ejusdem effugere possumus illecebras. Adde denique, quod ex nostra etiam definitione facile consequatur, luxum inter homines, cujus demumcunque fuerint colligi queat, reperiri posse, nec magis in palatiis, auro & argento distinctis exsultare, quam in humilibus hospitari tuguriis. Adeo venusta enim specie sese generi humano commendat, & tot blanditiis atque lenociniis illud detinet, ut anguem hunc e sinu suo excutere pauci velint, multi nequeant.

§. III.

Quod recentiori præsertim ævo multa de moralitate luxus in utramque disputata fuerint partem, qui Politicorum scripta primis tantum, ut dici solet, labiis degustaverit, fugere potest neminem. Plerique etiam in eo conveniunt, quod luxus inter utilissima referendus sit instituta; quippe nitido hoc opulentia & securitatis pullo in exilium pulso, squalida omnino foret mortalium conditio: singula enim tum desiderarent commoda, quæ gnava industria & artes manuarum abunde jam promunt. Chremetes quidam ingentes quotannis congererent thesauros & obscuris conderent locis; contra ea reliqui cives gravissimo paupertatis oneri succumberent, omni rerum gerendarum nervo destituti (a). Fuerunt tamen alii, iidemque non

(a) Quamobrem MELON *Libr. cit.* LUXUM vocat L'Objet de vagues declamations, qui partent moins d'une sai-

non minori ingenii acuminè præditi Politici, qui in contrariam ire sententiam non dubitarunt, quique propterea in gravem illorum Auctorum, qui luxui patrocinantur, censuram incurrerunt (b). Enimvero si dicendum, quod res est, gravissima hæc controversia in vanam abit logomachiam; cum nec hi adeo rigidi elegantiae omnis atque ornatus ofores sint habendi, ut incultum atque asperum vitæ genus, quale uvidi monticolæ (RIM-THUSSAR) elegerunt, generi humano utilissimum judicent; nec illi frivolis quibusvis artibus adeo obstetricari sunt censendi, ut in crepundiis felicitatem civitatis ponant.

§. IV.

ne connoissance, ou d'une sage févérité des mœurs, que d'un esprit chagrin & envieux. A quo parum omnino abludit M:r Le Baron BIELFELD dans ses Institutions Politiques Tom. 1. p. m. 47. Quoiq' on puisse prêcher, il n'est pas moins vrai, que ce Luxe, si décrié, est la première source de l'opulence de l'Etat, comme nous le démontrerons à l'article du Commerce. Il suffit de l'indiquer simplement ici, comme un des moïens les plus propres à civiliser le peuple, a lui donner du goût & à le rendre laborieux, pour pouvoir satisfaire à son penchant à la somptuosité. Plura in hanc rem ex instituto disputat DAV. HUME Libr. 5 Tom. cit. pag. m. 28. seq. (b) Sic gravissimus ille Gallorum Lycurgus SYLLU, nec non acutissimus MONTESQIEU, valde reprehenduntur, quod in civitatem bene constitutam luxum admittere noluerint, nedum promotum voluerint. Vid. HUME Libr. cit. Tom. II, pag. m. 321, nec non BIELFELD Libr. 5 Tom. citat. p. m. 155

§. V.

Si per bonos mores quasdam solummodo urbanitatis regulas, quæ partim certis corporis motibus atque gestibus absolvuntur, partim etiam in frivolis disputationibus atque ineptis consistunt argutiis, quemadmodum elegantiarum Magistri iterum iterumque crepare solent, nos intelligeremus; nescio sane, an melior ulla daretur ratio ipsos promovendi, quam quidem per luxum. Nihil scilicet æque tum foret facile, & nihil quod plus adferret jucunditatis, quam hisce inclarescere moribus; ut enim quisque levior esset atque impudentior, eo etiam magis moratus haberetur. Facebant autem vana hæc inaniam animorum pabula; procul etiam absit exquisitus ille, sed in fraudem innocentiae non raro effectus conversandi modus; amat enim ardua virtus & gravi comitate sese commendat. Boni igitur mores, qui virtutes etiam a nonnullis appellantur, consistunt in constanti proposito & habitu ea agendi, quæ præceptis Legum tam Divinarum naturalium, quam civilium sunt convenientia (a).

B

§. VI.

(a) Paulo aliter Bonos Mores describit quidam ex Recentioribus,, Qu'est-ce que les Bonnes Mœurs? C'est une conduite réglée sur la connoissance & l'amour de la Vertu. Je dis la connoissance & l'amour. Car faute de connoître la vertu, on n'a que les Mœurs du peuple, & faute de l'aimer, on n'a que les Mœurs des Grands; c'est-à-dire qu'on n'en a point. Il faut la connoître pour l'aimer, & quand l'on aime, on la pratique infailliblement. Voy. Les Mœurs Disc. Prél. p. m. XVI.

§. VI.

Quoniam luxus varia oblectamenta nec non multas delicias corpori imprimis exhibet, boni autem mores emendationem mentis requirunt; multi forte erunt, qui admirentur, quid demum commercii inter mores & humores, inter animam & corpus, inter substantiam immaterialem & materialem intercedat. Enimvero sicut partes hominis essentielles, quamvis diversissimæ sint naturæ, tamen propter admirandam inter illas societatem & communionem in se agunt; ita quoque nihil omnino impedit, quo minus luxus in virtutes influxum quendam, a nobis jam utcunque evolvendum, habeant. Accepimus equidem a Supremo Numine corporis nostri machinam, præstantem adeo, ut aptus atque concinnus ejusdem mechanismus omnem cogitandi vim nostram longissime superet; attamen sicut quotidianis obnoxia est mutationibus atque jacturis, ita etiam continuam desiderat reparationem, quæ tamen, partibus integris manentibus, facillima est. Venter enim, acceptis idoneis cibis hoc opus strenue, & nobis sæpe non animadvertentibus, facile peragit. Epulæ autem & potulenta, quæ nostræ adeo & sustentationi & conservationi inserviunt, si nimis abunde ingurgitentur, destructionem corporis nostri nonnunquam moliantur, sæpius vero debilitationem ei accelerant. Stomachus enim, fortissimus ille digestor, alimentorum diversissimorum non tam naturalium, quam sollicita arte paratorum copia obrutus, suo

am.

amplius muneri rite vel non vacat, quo quidem casu sicut indigesta relinquit multa, ita nimiam corpori inducit macilentiam, vel etiam si adiutas concoquere valeat dapes, adeo crassum atque obesum redditur corpus, ut justam desideret agilitatem. Idem enim hic fere contingit, quod plantis, pingvi humo satis, accidere non raro observamus, siquidem nimia succi copia efficit, ut ipsæ interdum ad debitam non perveniant maturitatem, interdum vero monstrosæ evadant. Si porro corpus gracile nimis & pæne junceum fuerit, ineptum plane est, quod laboribus quibuscunque & molestiis, quæ nostram comitantur sortem, ferendis sufficiat; quo facto, animus etiam, suo velut fulcro destitutus, indies magis magisque langvescit, & tandem veterenus ita omnes corporis partes occupat, ut resurgere atque ad industriam sese accingere negligat: immo morbum tandem suum amet homo, eique immori cupiat. Quamobrem etiam imbellis hæc turba omissioni tantum malarum actionum, quippe quæ genio ipsius maxime convenit, intenta, bonos mores & almam virtutem, quæ aliorum promoveri commoda studet, nec difficultatem in difficultatum molibus sentit, parum curat. Atque idem quoque de illis sentiendum, qui continuo luxu nimiam contraxerunt obesitatem, scilicet partim virium defectus, partim etiam nimia in his materiæ moles efficit, ut nec corpori justa agilitas, nec animo vigor, qui tantopere commendat, constet; quibus fit, ut vitæ ipsorum ratio pingue, nescio quid, sed bonis

B 2

mo.

moribus minus congruum, vulgo sapiat(a). Hinc longe lateque serpit luxus malum, nec nobis solum impedimento est in egregiarum actionum exercitio, sed insuper bonos mores non potest non corrumpere. Etenim dum alimenta exquisitissimis, qualia luxus postulat, condimentis referta affatim quotidie sumuntur, nimius, cum in sanguine, tum etiam in ceteris fluidis partibus oritur motus, qui affectus quoslibet, dum serviunt utilissimos, pessimos autem & noxios admodum, ubi dominari inceperint, iterum iterumque vellicat & excitat, ut jugum rationis excutere incipiant, animæ & corporis facultates quasi sufflaminent, novum atque naturæ ignotum habitum inducant, hominemque ita afficiant, ut in devia quævis ipsum præcipitem trahant(b). Cetera luxus instrumenta, extra hominem posita, non quidem adeo intime bonam corrumpunt indolem, ac ea, quæ ad cibi potus-
que

(a) Optime igitur SALLUSTIUS de Bello Jugurth. Cap. 2. Qui dedit corporis gaudiis per luxum atque ignaviam vitam agunt, ingenium, quo neque melius amplius aliud in natura mortalium est, incuitu atque fœcordia torpescere siont. A quo parum abludit CLAUDIANUS Libr. 11. De Raptu Proserpinæ

Humanas oblimat copia mentes.

(b) Quocirca adposite monet CICERO Libr. 1. De Offic. Cap. XXIX. Nam qui appetitus longius evagantur, [Quis autem per luxum effrenis factis modum aut metam statuere potest?] relinquunt & abiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subjecti lege naturæ, a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora.

que delicias pertinent, in qualitatem tamen morum haud exiguum momenti trahunt. Ut enim alia reticeam, nec enim singula ad vivum reseca-re instituti permittit ratio, tabulæ illæ, in quibus felicia Veneris atque Cupidinis stratagemata nitidis coloribus ingeniosa pictorum solertia expressit, & quas inter certissima exquisiti gustus indicia referunt mortales, luxui devoti, fortissima vividæ imaginationi ad quævis mala præbent incentiva, atque philtro quovis fortius juventutem inprimis commovent & ad prava sollicitant(c). Quare etiam gravitas Romana nullas facile tulit tabulas(d); quod tamen omnis elegantia, qua modo decori regulæ non migrantur, odium haud esse admittendum, ipsa quemlibet ratio affatim docet.

§. VII.

Ut plenius adhuc constet, quantum per ingravescentem luxum boni corrumpantur mores, paucis
B 3 offeri-

(c) Hinc PROPERTIUS Libr. 11. Elog. 6. - - -

Quæ manus obscenas depinxit prima tabellas,

Et posuit casta turpia visa domo:

Ille puellarum ingenuos corrumpit ocellor,

Nequitiaque suæ noluit esse vides.

(d) De tabulis igitur & statuis, quas, expugnatis Syraculis, domum retulerat MARCELLUS, ita censet LIVIUS Histor. Libr. XXV. n. 40. Hostium quidem illa spolia, & par-ta jure belli; ceterum inde primum mirandi Græcarum arti-um opera, licentiaque huic sacra profanaque omnia vulgo spoliandi, factum est.

ostendere licet, quam multa vitia ex Sybaritica vendi ratione, non aliter ac infelix lolium pingvibus saepe dominatur sulcis, propullulent & nimis increfcant. Sicut igitur luxus mentis aciem, ceu modo vidimus, perstringit; ita quoque omnem obscurat solertiam, ut neque altum quidquam neque magnificum suscipiant, qui voluptatibus indulgent. Ita sapiens censuit antiquitas, &, quod recte iudicaverit, multiplex fatis nos docet experientia. Consideres enim, quaeso, artifices, etiam illos, quorum industria ex luxu suum habet & succum & nutrimentum, atque facilis, ut spero, fateberis, quod quamdiu luxus in prima velut herba fuit, eorum officinae egregie sudaverint, atque nitida quotannis protruserint pensa; at ubi luxus ad summum fastigium adscendit & alumni ejus ad magnam pervenerunt opulentiam, conditio haec ipsis sordere incepit, quare almas nutrices suas vel segnius curarunt vel plane deseruerunt. Porro ut varium est luxui devotorum ingenium; ita singulis diebus novas voluptates atque nova voluptatum pabula quaerunt, novasque meditantur commoditates. Nunquam enim copiam satietas sequitur; crescit indies sacra elegantiae fames, & parandi rabiem parva irritant. Quemadmodum agrorum sitim potus accendit, atque ignis arenis non obruitur, sed augetur; ita etiam coacta luxu instrumenta aviditatem jejunae mentis acuunt. Tantis autem sumptibus faciendis cum mediocres minime sufficiant reditus, necesse est, ut pecunia, quae demum cunctae ratione, modo ne titulus desit, corradatur.

radatur. En primogenitam luxus filiam, Avaritiam (a). Pata reipublicae Romanae, ut lucem dictis foeneremur, per transennam solum expendamus. Quis, quaeso, ignorat, quod dum mediocri sua forte contenti essent Quirites, Roma magnarum virtutum palaestra sit habita; at ubi fatalis increverat luxus (b), & divitiarum cupiditatem introduxerat, gurges quidam flagitiorum exstiterit (c)? Decoctis enim amplissimis patrimoniis Equites Romani, quidquid luxus detraxerat atque consumserat, nefariis artibus & sanguinolentis centesimis reficere conabantur. Hinc gravissimae & frequentissimae tam Tribunorum, quam etiam plebis querelae, quas haud absurde quisquam dixit urbis Romanae fatales naenias. Plura in hanc rem exempla nobis suppeditat Historia Romana, quae tamen sicco praeterimus pede, ne antiqua tantum vulnera refricare videamur.

§. VIII.

Quo magis haec ruminor, eo clarius deprehendo, quod per luxum femina virtutum ex animis mortalium eradicentur. Vidimus enim modo, quod, gliscente luxu, plurima desiderant homines, qui morbus

(a) Delectant magnifici apparatus vitaeque cultus cum elegantia & copia, quibus rebus effectum est, ut infinita pecuniae cupiditas esset, ceu egregie monet CICERO *Libr. 1. de Offic. Cap. VII.*

(b) Quae etiam JUVENALIS

----- Saevior armis
Luxuria incubit, victumque ulciscitur orbem.

(c) Vid. AUGUSTIN. *de Civit. DEI Libr. 1. Cap. IX.*

bus cives, cujus demum cunque conditionis fuerint, afficere solet, adeo ut publicam magnificentiam privata sequatur luxuria (a). Dum vero merces anxie quaruntur, pretia earum non possunt non intendi quam maxime. Introductis autem imperiis, ipsa sanxit æquitas, ut certa stipendia honores committerentur, quæ munerum dignitati ita solent esse proportionata, ut, rationibus Oeconomicis rite subductis, necessariis utcunque sufficiant usibus. Hæc eadem fere manent, quamvis & luxus & rerum, quibus ille constat, pretia quotannis crescant. Rebus autem ita constitutis, Pamphilus, qui pro dignitate vivere cupit, ne in aliorum censuram, forte etiam contumeliam incurrat, nitidam sibi comparare domum cogitur, quam pretiosissimis & tamen, ut perversus seculi genius postulat, necessariis exornat utensilibus, ut ceteros apparatus sicco prætereamus pede. Cum vero tantis impensis faciendis, quod ad decimam partem Pamphili non sufficiant reditus, rerum gerendarum nervum quo demum cunque modo comparare nititur. Vix igitur ulla officia, præsertim ea, quæ ad jus pertinent imperfectum, quæque late admodum patent, sine numerata pecunia aliis præstat (b). Cardinalia igitur in vita communi Pamphilus & ejus amici hæc putant principia: *Quisque suis invigilet commodis, quem*

(a) Confr. VELL. PATERC. *Libr. 11. n. 1.* item SALLUST. in *Bello Catilin.* (b) In civitates igitur, luxum soventes, optime quadrat illud Horatianum *Libr. 1. Sat. 111. v. 97.*
Atque ipsa utilitas justis prope mater & æqui.

quemadmodum ipse meis. Item: *Nibil a te peto sine numerata pecunia, idem quoque tu facias.* Enimvero sic aurei inolefcunt mores; vera autem virtus, quæ cunctis prodesse liberaliter studet, præmia vero nec expectat, nec desiderat, in affluenti rerum omnium copia turpiter tabescit & ubique fere alget. Quid? quod infrequens non sit, ut homo paulo erectioris indolis, cui hamus non semper pendet, vel minus industrius vel rerum suarum plane negligens a ceteris habeatur. Atque hi ipsi moleste feduli censores Victori Salaminio valde sunt dissimiles, qui cuidam spolia corradenti graviter respondit: *Capias illa; non enim es Themistocles (c).*

§. IX.

Producit insuper luxus alias sive furias sive filias, primogenita illa, cujus mentionem nuper fecimus, nihil pulchriores, quas inter torvo vultu eminent audacia atque injustitia, hujusque pedisequa, injuria (a). Ubi enim luxus invaluit, non aliis rebus tantum, quantum divitiis statuitur pretium; C quis-

Multa etiam experientia edoctus monuit gravissimus Plato: In quocunque hominum coetu nec inopia nec divitiæ, huic justissimi aderunt mores, neque ibi contumelia, neque injuria locum habent, vid. *Libr. 111. de Legibus.* (c) Plura occurrunt in *Orat. Cl. PRÆSIDIS de præcipuis corruptorum morum causis.*

(a) In urbe luxuries creatur, ex luxuria existat avaritia necesse est, ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera & flagitia gignuntur, vid. CICERON. in *Orat. pro Roscio Amerino Cap. XXVII.* (b) Graviter igitur de Romanis SALLUSTIUS in fragment. conqueritur: Boni & mali

quisque enim tanto melior atque præstantior cen-
setur, quo ampliores possederit opes (b). Conti-
num innocentiae atque integritatis studium vanum
putatur nomen atque lubricum præsidium, si in con-
tentionem veniat cum gravissimis, non quidem ex
ratione & æquitate, sed ex distenta crumena de-
sumtis argumentis. Quocirca dum Colchos & au-
rea vellera quisque sibi Jason spondet, singulos, qui
moras sibi nectant, opprimere non dubitat. Ne au-
tem vanam hanc esse querelam, quispiam existimet,
exempla ruminetur, quorum cum reliqua Historia,
cum præcipue Romana est feracissima. Dum enim
Roma delicias tam Asiaticas quam Africanas igno-
ravit, propter æquitatem & justitiam adeo inter o-
mnes eminebat, ut orbis terræ patrocinium verius,
quam imperium haberetur (c). Paulo post autem
ita per luxum degeneravit, ut justitiam quoque in
quæstu habuerint Quirites (d). Vitia hæc, quæ mo-
do memoravimus, presse sequitur ambitio & supra
alios eminendi studium. Ponamus enim, quempi-
am inferioris fortis virum, opibus abundantem, ni-
tidam domum pretiosissima instruere atque ornare
supellectile, adeo ut luxus instrumenta in tectis,
parietibus, mensis, pavimentis, aliisque rebus con-
spiciantur luculentissima; profecto dum seipsum con-
tem-

cives appellati non ob merita in rempublicam, omnibus pa-
riter corruptis, sed ut quisque locupletissimus & injuria
validior, qui præsentia defendebat, pro bono ducebatur.

(c) Vid. CICERON. *Libr. I. de Offic. Cap. VIII.* (d)
Vid. FLORI *Histor. Roman. Libr. III. Cap. XII. n. 9.*

templatur, intonsasque majorum imagines recorda-
tur, nisi obesæ admodum fuerit naris, statim anim-
advertet, quam parum hæc suæ conveniant condi-
tioni, & quod singuli, qui magnificentiam ædium
admirantur, obscuritatem possessoris tacite saltem cul-
pent. Non potest non ægro hæc ferre animo, qua-
re majora spirare incipit, atque quod generi, in-
genio atque consilio plerumque deest, amplo titu-
lo, qui proluxa portendit merita, compensare niti-
tur. Unde porro consequitur, quod, ingravescenti-
bus luxu & ambitione, omnium conditionum vitæ
rationes immane quantum confundantur. Denique
licet seculum, luxui devotum, propter molles mores, aut,
si mavis, humanitatem (e) admodum commen-
detur, docet tamen experientia, quod sub proluxa
illa urbanitatis larva, superbia iterum iterumque gli-
scent, immo quod ista civilitatis ratione animum, lu-
cro jugiter intentum, multi prodant, quod de Chi-
nensibus nec non aliis populis pridem observarunt
Politici. Taceo cetera vitia his cognata, quæ per
luxum longa serie introducuntur; si enim præcipua
leviter tantum perstringerem, vereor, ne in ma-
gnum volumen excresceret tirocinium hocce Aca-
demicum; facile autem patet, quod, modo nomina-
tis mentem obsidentibus, nullus in eam virtuti pa-
teat aditus.

C2

§. IX.

(e) Hinc TACITUS in *Vita Agric. Cap. XXI.* Paulatim disces-
sum ad delinimenta vitiorum, balnea & conviviorum elegan-
tiam, idque apud imperitos *Humanitas* vocatur.

§. X.

Ad alia nunc pergimus instituta, quæ partim Summi Numinis in nos benevolentia, partim etiam magnorum Principum aliorumque Heroum curis suam debent originem, quæque per se ad emendationem ferocitatis naturalis & bonorum morum culturam adprime conducunt, sed per introductum luxum immane quantum corrumpuntur. Inter hæc non ultimo loco nominanda est proba liberorum educatio, quam propylæum felicitatis ac tranquillæ vitæ non immerito quis dixerit. Maximi autem refert, ut liberi a teneris inde unguiculis bonis imbuantur moribus, & propter dignitatem, generi nostro propriam (a), commendentur. Sicut enim sapor, quo nova imbuuntur vasa, diu durat, atque lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, ægre elui possunt; ita quoque præceptorum nec non consuetudinum, quas rudibus adhuc annis percepimus, tenacissimi esse solemus. Quocirca magni etiam Principes in iusta civium tenellorum educatione suas posuerunt & curas & delicias; in id intenti, ut animi disciplinis, non frivolis illis & quibus nihil solidi subesset, sed quæ vitæ innocentis optima præberent incitamenta, mature imbuerentur, atque corpora simul variis exercitiis ita firmarentur, ut laboribus, cum necessitas ita postularet, exantlandis haud essent imparia. Enimvero si per civitatem invalescat lu-

(a) Vid. Libr. 1, CICERON, de Offic. Cap. XXX.

luxus, ab ipsis inde cunis ita corrumpuntur infantes, ut nihil egregii præstare queant, parentesque, qui nunquam tenera fatis, ut quidem opinantur, sollicitudine delicatulanam prolem amplecti possunt, atque ita simiarum imitantur oscula, prolixa indulgentia hoc tantum obtinent, ut præclara instituta vim suam penitus amittant. Si de veritate sententiæ nostræ dubites, ingrediaris domum, luxu celebrem, videbis fenestras atque mensas lagenis, variis medicamentorum generibus repletis, stipatas, quæ vagientibus ingeruntur, quoties signa quædam doloris produnt. Crescentibus postmodum, quantum perversa hæc vitæ ratio permittat, viribus, non solum a gravioribus sollicitate arcentur laboribus, verum etiam a singulis exercitiis, quibus fatigari possent. Immo antequam liberiori sese exponere possunt auræ, plura quærunt præsidia, quam solertissimus dux contra imminentes hostes pugnaturus. Quamobrem etiam pallidi & graciles evadunt, ad quemvis horrent susurrum, nec ulla animo alacritas, nec ullus corpori vigor inest. Sic corporis negligitur cultura. Nec tamen credendum, quod quantum eidem subtrahitur, tantum animo poliando impendatur. Proponuntur enim his aibæ gallinæ filiis disciplina, non quæ profunda sunt, adeoque molestis involutæ, sed quæ oblectamenta tantum pariunt: ceteras illis relinquunt excolendas, quibus dotes suas parcus indulgit fortuna. Profecto non aliunde, quam ex hoc fonte promanant nimia illa morum corruptio & exitio-

sa licentia in opulentis civitatibus nullo non tempore obvia, non aliunde quorumlibet vitiorum sentina, quæ non irrepunt solum, sed magna vi & conferto velut agmine in respublicas passim irrumpunt (b). Si quem vero allata minus commoveant argumenta, propterea quod unum alterumve forte exemplum in contrariam adferre queat partem, ille antiquas consideret respublicas, quæ propter bonam liberorum institutionem præclarasque virtutes maxime celebrantur, atque haud invitus fatebitur, quod luxus pessimum fuerit venenum, quo & disciplina & boni mores in illis sensim sint corrupti. Percurras annales vetustissimorum populorum & vix ullam deprehendes gentem, quæ bonis moribus majorem impendit operam, meliorique gavisa est educatione, quam antiquissimi Persæ; apud quos juvenus in publicis palæstris eadem cura in virtutibus erudiebatur, quemadmodum apud nos in scientiis. Totum autem educationis systema cardinali hocce principio nitebatur: *Luxum fuge*. Quocirca etiam CYRUS, nondum ephebus, apud avum ASTYAGEM videns mensas, Medicorum more, epulis atque vinis lautissimis oneratas, ægre tantam tulit magnificentiam, graviter significans, pane, aqua & nasturtio æque saturari homi-

(b) Optime igitur Romanus ille Sapiens: Nihil magis facit iracundos, quam educatio mollis & blanda; ideo unicus, quo plus indulgetur, pupillisque, quo plus licet, eo corruptior est animus. Non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper absterfit mater.

minem, naturæ convenienter viventem (c). Lata autem hæc tempora, quibus paria postmodum non viderunt Persæ, perquam cito sunt elapsa, & quod sub CYRO ad summum & potentiam & gloriæ fastigium pervenerat imperium, introducto in familiam ejus, ipso tamen inscio, luxu (d), neglectaque sic avita disciplina, sensim sensimque fatiscere cœpit. Crevit sequenti tempore dulce hocce malum, omniumque Persarum præcordia ita occupavit, ut pristinae educationis vix umbra quædam, Dario Codomanno ad imperii gubernacula sedente, superesset. Denique nemo facile negabit, quin Romani, dum paupertati & parsimoniam suam fuit honos, bona gavisi sint educatione, quodque Censuram auctoritas ipsam diu servaverit. Majori tamen orbis parte subacta, nec non introducta secta Epicurea (e), luxu corrupta fuit hæc civitas; quo facto, nullum fere vitii genus fuit, cui a teneris sese non manciparunt Romani. Atque ut paucis multa complectar: prisca sanctitas gravissimum sic accepit vulnus, Romanusque vigor in theatris evanuit, emarcuit in Luculli villis & hortis, suffocatus est Messalæ piscinis atque in popinis, pudet dicere! fuit extinctus.

(c) Vide omnino Xenophontem citat. a ROLLINO dans son Trai de des Etudes Tom. I. p. m. LXXV. (d) Vid. ROLLIN. Libr. cit. Tom. IV. p. m. 205. (e) Cum CYNEAS ad mensam Pyrrhi de secta Epicurea multis differuerat, FABRICIUS: *Vellem, inquit, omnes Romani nominis hostes his Principiis essent imbuti*, vid. PLUTARCH. in Pyrrho. Quod autem successu caruerit votum ejus, sequentis ævi Historia affatim docet.

* * * * *

Pereximie atque Eruditissime DOMINE,

Audio Te, Eruditissime Domine, rostra A-
cademica propediem conscensurum, at-
que dissertationem, quæ multam certe olet
lucernam, a Te conscriptam defensurum. In-
gratus sane forem, si occasionem hanc, tanto-
pere expetitam, temere prætermitterem, nec
meæ in TE pietatis atque observantiæ quod-
dam relinquerem testimonium. Gratulor igitur
Tibi eximias ingenii dotes, quibus suffultus
egregios in variis disciplinis fecisti progressus.
Gratulor etjam jucundam virtutum possessio-
nem, quibus omnium amorem Tibi devincire
soles. Ex toto denique pectore opto voveoque,
velit Supremus rerum Moderator, adversa,
cum quibus hæctenus colluctatus es, fata in
mitiora lætioraque convertere, ut fortunam,
honestissimis Tuis studiis faventem, semper
experiaris!

Tuus ex affe
HENR. GABR. BOÏSMAN.